

experiantur. Quamobrem in commune maiestati vestre supplicamus, ne hoc culpa estimetur, quod est necessitas, sed mera impossibilitas. Mox vero cum superna providentia nos mitius respexerit, iterum certe antiquum prestabimus, id est ut in obsequio vestro pauci nos possint equare, anteire nemo.

36.

Bischof H(ermann) von B(amberg) an Bischof (Theodewin) von Lüttich: sendet einen Bamberger Knaben, der als Zögling in die Lütticher Domschule eintreten soll.

(nach 1065 Herbst.)

Cod. Paris. lat. 2903 fol. 60'.

Reverentissimo sacrosanctę Leodiensis ecclesię presuli H.¹ licet indignus B. episcopus perpetuum orationis munus cum unico obsequio.

Si vobis omnia, quę in tam^a infesta regione sustinetis, cooperantur in bonum, tam impensa quam debita vobis caritate gratulor. Eius quippe proprium et familiare ius est aliena commoda et incommoda sua deputare, quę tunc velud in arcem perfectionis evasit, cum nichil in amore privatum specialeque assumit. Huius ergo tanti boni, quodque inter ceteras virtutes veluti inter illustres stellas quasi locum solis obtinet, quia vos ab ineunte etate singulare domicilium esse cognovi, dilectum hunc ecclesie nostrę filium in sinum benivolentie vestrę non dubitavi transmittendum, ut in officina scolari tam moribus quam disciplina excoctus pro spe nostra, pro loci auctoritate Leodiensem manum^b intra nostrę ecclesie ornamenta resplendeat. Fundamenta quippe religionis nostrę ab ecclesię vestre primatibus viris iacta et instituta sunt.² Quamobrem^c equum arbitratus sum, unde ecclesiasticę discipline aucupati sumus exordium, inde eius identidem petamus incrementum. Quodsi nobis occasio ulla vobis quoque morem gerendi illuxerit, non segnes neque impares in reddendo experiemini. Gratia domini nostri Iesu Christi cum vestro spiritu sit.

36. ^a) uitam (statt in tam) c. ^b) so c. ^c) Quamopere c.

¹) Aus der Stellung des licet indignus ergibt sich, daß H. Nominativ, nicht Dativ ist. ²) Heinrich II. hat als ersten bekannten Bamberger Scholasticus den Durandus aus Lüttich berufen, vgl. HIRSCH-BRESSLAU, Jahrbücher Heinrichs II. 3, 181f.